

stantiam tamen cibi & potus talem eligerem, quæ A
esset optimi alimenti, & facillimæ concoctionis
& distributionis: vellemque vt in hac re præci-
puè studium collocaretur, quod quidem omnib.
diuturnis morbis videtur esse cõmune. Quantũ
verò ad medicationem attinet, optarem vt assiduè
vteretur aliquo leui medicamẽto, quod vim
leniendi haberet, ventriculumque & intestina
expurgandi: qualia duo essent præcipua, vel cas-
sia, vel rhabarbarum, vel vtrunque simul confe-
ctum. nam absque facultatum & spirituum detri-
mento, corpus totum hoc cõsilio mundum con-
seruaretur, sanguisque purior redderetur, vnde
& alimenti & spirituum copiosa generatio bene
succederet. Si ergo ter vel etiam quater in mense
sumeret ʒ floris casisæ, cum semidrachma rha-
barbari, credo bene consultum fore. Quòd si for-
tè casia, vt multis mulieribus contingit, flatus
& tormina excitaret: exhiberem drachmam rha-
barbari cum ʒ sacchari rosacei, vel ʒ tres aut qua-
tuor syrups rosati solutiui: talia enim in purgan-
do hoc corpore excedere nõ auderẽ. Pro capite ve-
rò, ventriculò ac corde roborandis darem etiam
nonnunquam, præcipuè vbi aer esset magis tem-
peratus, ʒ ij. vel etiam ʒ j. optimi mithridati, ad-
iecta semuncia sacchari rosacei. Laudo etiã si ma-
tutinis horis mandet, aut, vt vulgò dicitur, pro
masticatorio vtatur mastiche, aut garyophyllo,
aut nuce muscata confecta: caput enim corrobo-
rabit, pituitamque educet. Illinire etiam sæpe
tremencia loca ex aliquo oleo odorato calefacien-
te ac resolvente, non parum vtile existimauerim:
qualia sunt quæ à pigmẽtariis venduntur, de sty-
race, garyophyllo, & huiusmodi. Quòd si consue-
uerit caput abluere, omittendum non puto: sed
lixiuio dulci in quo maiorana, stæchas, chamæ-
melũ & anethum decoquetur. A fortioribus au-
tem quibuscunque remediis in hoc morbi gene-
re, & ab huiusmodi causis generato, & in hac
ætate maximè abstinendum putauerim: cre-
do enim ex his, vel similibus, si curari potest, esse
curandum: si non potest, quod magis suspi-
cor, saltem esse præseruandum, ad laudem Dei
omnipotentis.

CONSILIVM LXXIIII.

De tinnitu aurium antiquo, pro viro integerrimo, Domino Mathia Zes Bohemo.

QVONIAM & purgatio vniuersalis, & po-
tus aquarum thermarum præcessit, &
ratio victus est instituta: ideo ea quæ
nunc sint agenda proponam. Et primò

R. Olei de pice

Olei amygdalarum amararum ana ʒ ij.

Misce, & frequenter auri guttatim instilletur:
prodest enim ad surditatem, & aurium tinnitum
antiquatum, & cerebrum confortat. Pro capitis
autem & stomachi confortatione, semel in septi-
mana vtatur pillulis infra scriptis, aut ter in men-
se, prout necessitas exegerit:

R. Nucis muschatæ

Garyophyllorum ana ʒ s.

Zedoariæ ʒ ij.

Gentianæ ʒ j.

Rosarum rubearum

Sandalorum citrinorum ana ʒ j. s.

Aloes opt. succo citr. ʒ vj.

Rhabarbari electi ʒ iij.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur:
postea aspergantur aqua rosacea, & permittantur
exiccari, & ita iteretur septies. Postea cum syrupo
violato formetur magdaleon, de quo singulis vi-
cibus fiant pillulæ ʒ j. num. 3. cum eodem syru-
po violato, & sumantur hora vna ante cœnam.
Lotio pedum fiat ad prouocandum somnum.

R. Folia falicis

Anethi m. j.

Cortices papaueris albi, n. iij.

Fiat sacculus, coquantur aqua, & ex decocto
ante cubitum lauentur pedes & brachium.

CONSILIVM LXXV.

*In aurium tinnitu à vaporũ ascensu, prescri-
ptum Italicè. Anno 1550. May 12.*



STA quæ monebimus ad hyemem vsq;
à D. S. obseruanda videntur. Primum id
quod fundamentum reliquorum est, vt
diligentissimam victus rationem teneat.

Abstineat ab omnibus fructibus, acetariis tã cru-
dis quàm coctis. Ab aromatis, leguminibus, pi-
scibus, carne solida, caseo & omnibus lacticiniis,
à carnibus animalium annoforum, vescatur vitu-
lina carne, pullorum, hœdorum, ouis recentibus:
vinum bibat album, non austerum, sed bene ma-
tutum & clarum. Nigrum autem & crassum pla-
nè vitet. Hæc sit victus illius ratio. Cùm verò
nunc insignis sit æstus, purgationes sunt breui-
ores hoc modo:

R. Syrupi rosati solutiui ʒ iij.

Aquæ endiuicæ parum.

Misce, fiat potio breuis danda in auroram. In
sequenti die vtatur subscripta medicina seu sy-
rupo.

R. Syrup. de absinthio

Mellis rosati ana ʒ j.

Aquæ cichorei ʒ iij.

Misce pro vno, & sic pro quinque aliis. Hos quin-
que syrupos vbi biberit, vtatur sequenti medicina.

R. Rheubarbari electi ʒ ij.

Spicæ g. vj.

Infundantur in aqua endiuicæ per horas decem:
deinde facta diligenti expressione & colatura, ad-
de syrupum rosati solutiui ʒ iij. Misce, fiat potio
danda sub auroram cum custodia. Post vsum
duorum primorum syruporum incidatur vena
iecoraria in brachio dextro, extrahatque vncias
octo sanguinis, ita vt præcedenti die cœnematè vtat-
ur. Post istas purgationes, toto reliquo tempo-
re vsque in hyemem, tantum aluum emollire stu-
deat, quod vel vsus cœnematum, vel mannæ cum
scrupulo, vel media drachma rheubarbari pulue-
rizati, aut cum zuccharo rosato recenti vncias v-
nà misti præstabit. Hoc remedium bis in septi-
mana etiam adhibere poterit, neque in æstu ab
hac

hac